

1597

*Hieronymus Giliolus orator ab Estense ad Pontificem missus.*

tuitionem se comparet, quod iniquam causam vi propugnare velit, quod se Ecclesiamque contemnat: primum Ferraria decedat; si jus poposcerit, restitutum; interea belli apparatus non intermissum: ni sponte cedat, armis coactum. Ad ea Delphinus cum nihil ad Clementem flectendum prætermisisset, tandem ut eum audiret, obtinuit. Cæsar itaque Hieronymum Giliolum, oratorem, ad Clementem mittit, qui & Alphonfi obitum, & suum in Apostolicam Sedem obsequium significet; enixe oret, vel a jurisconsultis, vel ab aliis, modo in neutram partem propendeant, jura sua expendi permittat. Clemens ad se, uti feudi dominum, judicium spectare affirmat, Venetorum usus exemplo, qui superioribus annis controversias inter Antistitem Aquilejensem ac Rempubicam de feudis exortas ad se attraxerant.

*Marcus Octobonus Senatus mandato Ferrariam proficiscitur.*

*Aloysius Montecuculus, Estensis orator, ad Venetos, & ejus officium.*

Dum in ancipiti re certatur, Senatus, ne latius incendium serperet, atque si qua via ad concordiam foret, quamprimum expediretur, Marcum Octobonum, scribam a secretis, ad Cæsarem mittit, qui gratulationis munus obeat, quodque majora in eum benevolentiae argumenta edita non sint, conditioni temporum tribuat; hortetur, quamprimum aliquam retinendæ pacis, controversiarumque dirimendarum rationem Clementi proponat. Cæsar statim Aloysium Montecuculum Venetias mittit, qui Principi Patribusque significet, se, licet, uti Alphonfi heredem, Ducem Ferrariæ nuncupaverit, tamen, ut jura sua disquirantur, vehementer optare; sæpius id ad Pontificem perferendum curasse; per Gualengum equitem efflagitasse, per Aragonium Cardinalem deprecatum esse, Philippi Hispaniarum Regis judicium non recusasse: ab iis initio non abhorrentem, mox (quanam de causa incertum) Clementem poenituisse: inde Italum aliquem Principem sequestrem, Venetamque in primis Rempubicam postulasse: eo abnuente, ad jurisconsultos, modo ne viri sacriati, sed ab omni affectu immunes forent, descendisse: neque his Pontifice permoto, Senatus consilium, cujus inveteratam prudentiam magni faceret, amplexum, ab æquis conditionibus non discessurum; pecuniæ vim erogaturum, affinitatis vinculo sibi Pontificis familiam conjuncturum; demum, si ita res poscere videatur, castella agrosque tributurum. Estensis causam

mi-